





21

ש"ס

1720

9

11

APOLOGIAM INVIDENTIÆ

ADVERSUS

BIBLIOTHECAM ACADEMICAM HALLENSIS.

DISPUT. POSTERIORI

IN

ILLUSTRI AD ALBIM ACADEMIA

D. 31. Jul. A. MDCCXX.

VINDICABUNT

PRÆSES

JO. CHRISTIAN. BURGMANN

ROSTOCHIENSIS, LL. AA. MAG.

ET

RESPONDENS

MARCUS GUHL, ROSTOCHIENSIS

PHILOS. ATQVE LL. CULTOR.



Wittenbergæ, Imprimebat Johannes Lud. Fincelius.

P 541



APPOLOGIAM
INVIDENTIAE

BIBLIOTHECAM
CADEMICAM HALLENSIS

IN
HEUSTRIAD ALBIM ACADEMIA

D. J. M. A. G. G. G. G. G.

O CHRISTIAN. HUBOVANUS

LIBRARY
HALL

MARCUS G. G. G. G. G.



ARGUMENTUM DISSERTATIONIS POSTERIORIS.

- | | |
|--|---|
| <p>§. I. Imputatio censoris altera, quod vulgaria nouitate vocabuli inuid. obliuiscuntur, in genere conscribitur.</p> <p>§. II. Speciatim ostenditur, nec nouam esse inuidiam meam ratione soriginis, nec ratione definitionis.</p> <p>§. III. Socratis de inuidia opinio memoratur.</p> <p>§. IV. Platonis sententia enarratur.</p> <p>§. V. Aristotelis placita recensentur.</p> <p>§. VI. Stoicorum decreta exponuntur.</p> <p>§. VII. De reliquis Philosophis stribtim</p> | <p>differitur.</p> <p>§. VIII. Inde antiquitas definitionis alate concluditur. Resutantur recentiores nonnulli, & soluuntur obiectiones, que obuerti poterant.</p> <p>§. IX. Recte abstrahi affectus artos, & sigillatim inuidiam, aduersus censorem probatur.</p> <p>§. X. Exceptiones atque obiectiones paucis excutuntur.</p> <p>§. XI. Illustres viri illimitata philosophandi ratio confirmatur.</p> |
|--|---|

§. I.

Sed salua res est, nullus hic patet inuidie locus, non id agit commentationis conscripitor, ut inuidiam, seu^o ut mauult dicere inuidiam, commendat, quamquam verbis pre se ferat. Sed rem tantum non vulgo eruditorum notam & omni atate a viris doctissimis inculcatam nouitate vocabuli implicat magis, quam explicat. Re autem vera nihil aliud dicit, quam vitia eruditorum odio prosequi licere, virumque eruditum prudentia debere esse ornatum. Hec vero quamuis extra controuersiam posita sunt, recte tamen exercitationis Academicæ prebuisse materiam, modo non tot aliena de inuidia addidisset. Ita nunc immutata est scena, nouaque iudicii facies a Critico nostro inducitur & adornatur. Antea labefactari honestatis atque iustitiæ, nescio cuius, cerere imaginariæ, fundamenta clamabatur: nunc vis notionibus atque vocabulis inferri dicitur. Periculum, quod licita eruditorum inuidia comminabatur, euauit, exspirauit omne: nil quicquam discriminis pertimescendum amplius est. Salua res est. in uocabuli uero nouitate consistit alteratio, λογωμαχίας violenta instruitur acies. Ita nimium res sese habet, quemadmodum Dissertationis prioris §. III. p. 5. obseruatum fuit, litigari de vocibus sæpius, quam ipsa re, quando de animi adfectionum morali ratione, hoc est bonitate & prauitate disceptant eruditi. Eapropter laudem meretur censor, quod illa arroderet tempeptive desistat, quæ de-

C

rode-

rodere non valet; atque suas in nomine vires experiatur, in cuius notione cum specie quicquam reprehendere non tam arduum erat, quam in re ipsa. Dicam vero nouitatis inuidentiæ vocabulo ideo potissimum scribit, quod eo, quæ vndique cognita sint, & ab omnibus omnium temporum eruditis quotidie tradantur, obscurentur potius quam illustrentur. Non is ego sum, qui arcana multa atque recondita sapientiæ momenta de se polliceri queat, quod viris solidiori doctrina imbutis, longoque rerum usu & experientia confirmatis, in iisque censori relictum esto. An vero ea, quæ Dissertatione Superiori de licita eruditorum inuidentiæ commentatus sum, tam quotidiana, tam peruulgata sint, quam quidem censor credit, valde dubito. Hactenus enim, quantacunque cura scriptorum monumenta perquisiuerim, quot historiae Litterariæ peritissimos statores atque vindices consuluerim, neminem reperire aut explorare potui, qui peculiari super ea re scripto rem litterariam auxerit; & quicunque ex optimis atque perspicacissimis Moraliū Doctoribus hoc argumentum persecuti sunt, molli, quod aiunt, brachio hinc inde ipsum attigerunt. Et quid multis? ipse censor, quem supra eruditæ plebis fortem dudum euererunt præstantissima in iurisprudentiam tum naturalem tum civilem merita, suo exemplo nos condocet, quam longe absit vulgus a penitiori inuidentiæ consideratione. Nam ipse in redarguenda inuidentiæ licentiæ hæsitat, inconstans est, fluxus, & quo sese vertat, nescius. Primum rem ipsam impugnat, recta a me mutari, obtendens. Deinde rem absoluit, nomen accusat. Sub finem vero nomen & rem vno ictu prosternere nititur. Tantum quoque abest, vt nomine hoc implicetur res magis quam explicetur, vt potius ea demum intimior rerum scientia dicenda sit, cum rem, quam perpeximus, ad nomina diuersa, revocare possumus, diuerso respectu ei imposita, quæ vulgus confundere, huiusque cognitioni haud leue sæpe obstaculum ponere solebant. Non satis est nosse, æquitati consentaneum esse, vt eruditus ob semi-eruditorum prosperitatem, qui summis officiis præter merita admoventur, doleat; aut studiorum arcana, quæ gloriæ legitime parandæ instrumenta esse poterant, sibi feruet. Intelligere etiam debet, pertinere ea ad inuidentiæ, atque ex consueto loquendi vsu hoc nomine comprehendi: Vbi enim dolor locum habet ob bonum aliorum, aut metus sua amittendi, ibi inuidentiæ excludi non potest. Qua in causa tamen plus simplici vice censorem peccare, ex iis innotescit, quæ inferius monenda sunt. Taceo, ne rem quidem ipsam, quate-

quatenus a nomine seuocatur, & abstrahitur, non omnibus cognitam, nec vbiuis obuiam esse. Quid? quod monitum illud de disimulanda prudenter scientia, quod *Dissertat. Super. C. II. §. VIII*, inculcaui, in arcanis sapientiæ dogmatibus numeretur, a Clariss. Heumanno in Actis Philos. Comp. *Dissert. prioris §. VI*. Quæ vero omnia non vanæ gloriolæ captandæ ergo dicta volo, sed inuitus libere pronunciare debui, ne ulla in parte iniustæ censuræ cederem, aut veritati injuriam fieri, quantum in me est, paterer. Ad me vero quod spectat, satis laudis censor mihi impertit, quando dignam iudicauit materiam, quæ publica Dissertatione ventiletur, modo non nouitate toties auribus meis obstreperet, atque tot aliena de inuidia obiiceret.

§. II. Non liquido autem prima statim fronte adparet, quo sensu censori noua dicatur vox inuidentiæ, vtrum ratione primæ originis, an significatus illius, quem in definiendo isto adfectu elegi? Priori respectu vt plurimum explicandus est is, qui crimine nouitatis simpliciter vocem quamdam arguit. Quem etiam hic valere, vel inde probabile evaderet, quod inuidentiæ, quam ipse præferendam duxi, illudere videtur censor; nisi fidem excederet, nouum dici ab antiquitatis scrutatore nomen, quod inde a toto retro seculis inualuit. Enimvero Plato in *Philebo vel de summo bono pag. 38. inuidia nomen paullo ante inductum esse*, suo iam tempore memorat; at Ciceronis ætate adeo frequentatum erat inuidiæ nomen, vt ad ambiguitatem eius euitandam, inuidiamque actiuam & passiuam eo feliciter distinguendam, nouam inuidentiæ vocem confingere, vtile ipse iudicaret, prouti *Dissert. Super. C. I. §. 1.* prolixius ostensum fuit. Vnde etiam siue inuidiam siue inuidentiæ dicas, perinde censent, & promiscue vtramque vocem vsurpant sequioris ætatis scriptores. Comp. Aristot. *Ethicor. ad Nicom. ex edit. Rachelii L. II. C. VII. p. 56.* & passim. Lælius Peregrinus de *animi adfectionibus p. 38. 39. 136. 137. 156.* Aloysius Luissinus de *compeſcendis animi adfectionibus p. 111.* Abeat itaque hæc nouitas, atque accedat altera illa, qua ipsa inuidentiæ definitio petitur, quamquam nec congruentius ea mihi opponatur. Liberum equidem esse non statuo cum censore, *Biblioth. Acad. Selt. V. p. 195.* vbi magni huius Academiæ Theologi dissertationem indigne censet, ex arbitrio rem quamuis definire, sed cedendum esse vsui, puto, penes quem vis est, & norma loquendi, nisi verbis quis ludere aut tricarum cum Stoicis voluerit. Et quamuis numquam id perfici queat, vt eidem voci eadem ab omnibus ideæ subiiciantur; standum ta-

men est iudicio intelligentium, atque eorum, qui ante nos cum auctoritate quadam locuti sunt. Interim miror, traduci nouitatis titulo a Censore, Historiæ Philosophicæ peritissimo, definitionem, quæ a Veteribus iuxta atque recentioribus Moralistis frequentatur. Ne vero gratis hæc dici quis credat, a primis inde excultæ Philosophiæ Moralis temporibus repetam. quæ de inuidentiã fenserunt, & quomodo eam descriperunt acutissimi Philosophi. Vt alienam esse censoris nouitatem, meamque inuidentiæ definitionem antiquissimam esse, inde relinquatur.

§. III. Initium ducam a Socrate, non quod primus fuerit apud Græcos Moralium Doctor, qui Philosophiam (a) ex cælo in terram deuocauerit etc. ut Cicero loquitur *Tuscul. Quæst. Lib. V*; sed quoniam ceteri Socrate priores Philosophi vel Symbolica, Hieroglyphica & fabulosa docendi ratione cuncta inuoluerunt, in demonstrationibus ad oracula, somnia, visa, & auctoritatem conuersi; uel nuda parænesi suas de bono & malo præceptiones absoluerunt: ipse uero procul habitis Pythagoræorum *Ἠερολογίας*, & reliquis moralia tradendi modis, qui rei gravitati conuenire minus uidebantur, simplici atque plana methodo discipulos instituit primus, suasque simul probationes ad rationis principia solide retulit. Comp. Cl. Ge. Paschius *Introd. in rem litter. Moral. Veterum C. I. §. 3. p. 522. seqq.* Olearius *Dissert. de Genio Socratis*, quæ inserta est Santeii *Historiæ Philosoph. p. 130.* Cl. Stollus *in der Historie der Heynischen Morale §. 41. p. 42.* Cum uero, quæ Socrates cum discipulis suis de finibus iusti & iniusti differuit, nunquam ab ipso, consentientibus, quantum scio, omnibus, litteris mandata sint, sed a Xenophonte potissimum; ex hoc, quicquid integerrimus ille Philosophus de inuidia statuerit, hauriendum fere erit. Memorabilis uero de hoc affectu sententia est Socratis, quam exponit Xenophon *L. III. Memorabilium Socratis p. 779*, cuius quantumuis nonnulla momenta exhibere visum fuerit Stanleio *Hist. Philos. p. 119.* eam tamen integram hic describere placeat: *Cum autem, incipit Xenophon, quid esset inuidia, consideraret, dolorem esse quemdam reperiens, non in amicorum aduersis rebus, nec in secundis hostium: sed eos solum aiebat inuidere, qui amicorum fortunam prosperam iniquo*

(a) Siue Theoreticam eam nomines Philosophiam cum Eruditoriff. Rachelio *Introd. ad Philos. Moral. Aristotelis C. VI. p. 47*; siue uerba illa de Morali disciplina interpretis, qua communis est eruditorum explicatio Ciceroni conuenientissima. conf. Cl. Budæus *Hist. Philos. C. IV. §. IX. p. 43.*

iniquo animo ferrent. Cumque mirarentur nonnulli, posse aliquem in ejus successo prospero, quem diligeret, percipere dolorem: commonefaciebat eos, esse quosdam sic affectos ad alios, ut, si cum miseris eos consiliari viderent, negligere eos non possent, omninoque calamitatibus succurrant: contra si secunda res ipsorum sint, doleant. Atque hoc viro prudenti non usu venire, sed fatuis. Ex quibus verbis discimus, invidentiam Socraticam esse (1) dolorem ob aliorum fortunam prosperam. 2) eumque præcise amicorum. 3) invidiam proprie dictam, eo quod bona amicorum adgrediatur, ægreque ferat, iniustam esse, atque imprudentem. 4) dolorem vero ob inimicorum fortunam licitam quidem esse, non autem proprie loquendo invidentiam. Quæ quidem ultima non vi solum legitimæ oppositionis inde eliciuntur; verum ex iis etiam, quæ Stobæus *Serm. 144. p. 230.* de eo habet, confirmantur: *Interrogatus, quid bonis molestum esset? dixit: prosperitas improborum.* Non sum nefcius, inter alia Socratis, quæ Cl. Stollium in *der Historie der Heydnischen Moral* offendunt, quæque ex parte inter ipsum & Cl. Heumannum disceptata sunt, etiam ea §. 42. pag. 46. notari, quæ hoc loco de invidia præcipit Socrates. *Man wird mir erlauben, daß ich-unter die besondern Fehler des Socrates dieses rechne, daß er das vor keinen Neid angesehen, wenn einer seinen Feinden ihr Glück mißgännet.* Non inquiram hac vice operose, num inter singularia Socratis referenda sit hæc eius de invidentia opinio, cui aliqua saltem ex parte Platonem addiditum fuisse, sequens §. docebit, forte & alii eam amplexi sunt. Pace tamen viri Clarissimi, neque censuram istam, neque Socratis sententiam omnino approbo. Quod si enim hostium nomine intellexit improbos, quemadmodum conicere fere ex iis licet, quæ Stobæus modo excitatus de eo memorat, non video, quid iure in Socrate requiri possit. Neque eorum etiam, qui inimici nobis sunt atque infensi, prosperitatem oculis alienis aspicere interdictum eatenus est, quatenus se suamque felicitatem conservare præceptum est. Interim si illimitate dicta capiuntur, haud iniuria a Cl. Stollio culpatur; uti & restricta nimis loquendi ratio non admodum mihi in Socrate placet. Magis vero cordi sunt, quæ Epicharmus ille Pythagoræus de invidia pronunciat, a Clariss. Stollio *l. c. §. 138 p. 149.* ita versa: *Wer ist doch wohl, der da verlangte, daß ihn seine Freunde nicht beneiden machten? Es ist ohnedem kein Mensch (in der Welt) den nicht jemand beneidete.*

§ IV. Socrati succedat Plato, qui non Socratis solum, sed & Pythagoræ, imo & Heracliti institutione usus est, quorum vero placita ita in

ter se miscuit, vt confusa inde coaluerit atque indigesta doctrinarum moles. Quam nisi iamdudum eruditi animaduertissent, affectuum tamen doctrina satis testatam redderet. Nam tamquam canis ex Nilo bibens, vix primoribus labiis eam degustauit. Contentus enim in *Theateto* innumeras fecisse perturbationes, & L. IX. de *Republica* dixisse cupiditatem partem latissimam, multa bestiarum, id est, passionum capita continentem, specialiora nullibi distinctim persequitur. Comp. Illustr. Thomafius *Praxi Philos. Mor. C. II. §. 6. p. 33.* Quæ vero Alcinous *Lineamentis doctrine Platonis C. XXXI.* de affectibus eorumque diuisione ex mente magistri præcipit, pauca sunt, atque obtorto collo undequaque corrasa. De inuidia tamen, nescio, quo fato, sapiuscule differit Plato, & luculentissimus occurrit locus in *Philebo seu Dialogo de Summo Bono*, ex quo nonnulla, quæ huc spectant, decerpam. Ibi enim p. 97. iram, timorem, desiderium, lamentationem, amorem, æmulationem, inuidiam coniungit, atque hæc omnia dolores quosdam animæ ponit. Deinceps interrogat p. 98. *inuidia nomen paullo ante inductum vtrum dolorem quendam significare censet nec ne? Quod cum affirmatum esset, mox subiungit: inuidus tamen proximorum aduersis lætari deprehenditur. Porro mouetur quaestio: annon tristitia quædam, lætitiæque iniusta est? Et responderetur, aduersariorum malis lætari nec iniustum, nec inuidum esse: malis autem amicorum lætari potius quam tristari inuidi esse atque iniusti. Ex quibus omnibus tandem concluditur: Nos igitur in amicorum rebus ridiculis subidentes miscere voluptatem dolori, dum inuidiæ lætitiæ addimus, ratio ista concludit. Liuiorem quippe tristitiæ quædam animæ iam dudum esse constitit, derisionem vero lætitiæ, simulque hæc eo in tempore congrredi paruit. Quæ sententia Platonis, vt eo rectius capiatur, tenendum ante omnia est, in eo nunc esse Platonem, ut mixtionem atque compositionem affectuum commonstret, atque contrarias in se perturbationes ad vnam eandemque passionem concurrere posse, ostendat. Quod vt eo melius perficiat atque euincat, inuidiam in scenam protrahit, quam & dolorem purat, & voluptatem complecti. Sicuti vero inuidorum lætitiæ ex malis aliorum proficiscitur; ita dolores, quos inuidi accipiunt, ex bonis alienis manare necesse est, quod vt aliunde notum ex Platone supponitur. Opposita præterea oppositorum est ratio. Ex his itaque patet, in quantum Socrates atque Plato conueniant, in quantum dissideant. Conuenit Platoni cum Socrate, 1.) quod ipse inuidiam credat dolorem, ob bona aliorum; (siue amicorum siue inimi-*

inimicorum) 2.) quod dolere ob bona amicorum iniquum putet, quod tamen ob prosperitatem inimicorum licite fieri posse, existimat. Differt vero ab ipso 1.) quod invidiam tam late patere arbitratur, vt ad inimicos non minus quam amicos pertineat. 2.) quod præterea ad invidiam requirit huius cum ἐπιχαιρεκαλία nexum, seu letitiam ob aliorum mala. Non repeto nunc cautelas, §. præced. suppeditatas, & quæ in iis circa Socratis opinionem notata sunt, utpote quæ huc quoque referri ex parte debent. Id tamen culpandum videtur in Platone, quod non satis curate invidiam atque ἐπιχαιρεκαλίαν distinguat, quarum hæc illius accidens tantum est, quæ ab ea quoque remoueri potest: Sicuti & incongrue liuoris atque inuidiæ voces profundit, quoniam illa habitum vitiosum: hæc affectum sua natura indifferentem designat. Notatu præterea dignum est, quod Plato *Lib. XXXIII. de Leg. Dial. V. p. 802.* inuidum adpellat, *qui sponte nihil boni ceteris confert.* Quibus verbis actus ille inuidentiæ insinuat, quo denegamus aliis, quæ in nostra sunt potestate, metu ea amittendi, aut damnum aliis inferendi. Quando vero in sequ. adicit: *Certe apud nos quisque de virtute absque inuidia,* de vitiosa loquitur inuidia, quemadmodum ostendit Schvvarzius *Diff. de amulatione p. 2. 3. 41. 45.* Platonis discipulus & successor erat Speusippus, cuius nomine quæ circumferuntur *definitiones, seu ἐποι,* ex plurimis huius Philosophi scriptis solæ ætatem tulerunt. Non fugit me, adscribi hæc definitiones ipsi Platoni a nonnullis, vt Ammonio, If. Casaubono & aliis. Alii tamen rectius Speusippo eas vindicant & asserunt vt Laertius *L. IV. Segm. V.,* Stollus *Hist. Philos. p. 320.,* Cl. Paschius *introd. in rem Litter. Mor. Veter. C. I. §. IX. p. 562.* Quicquid huius rei sit, diffidendum non est, eas ex ore vel scriptis Platonis hausas, atque sic in vnam collectas esse. Loquitur id ipsum vel sola inuidia, quam Speusippus definit *tristitiam ex amicorum bonis.* Comp. Lælius *Peregrinus de animi adfectionibus p. 156.*

§. V. Venio nunc ad Aristotelem, Græcorum Philosophorum principem, ingratum, vt vulgo, sed præpostere, vocitari fœuit, Platonis discipulum, cuius in concinna methodo, & accurata tractatione per totam philosophiam constanter seruata exsultat gloria. Quantum qua disciplinam, quæ rationes viuendi explanat, ceteris æui sui doctoribus præripuerit, ex instituto recenset Rachelius *introd. in Philos. Mor. Aristot. C. VIII. p. 75. sqq.* In affectuum doctrina non satis sibi constare communiter creditur. Mox enim octo statuit affectus *L. I. de anima textu 14,* mox vndecim *L. II. Ethicorum C. V.,* mox duodecim *Rhetoricorum L. II. a. C. II. ad XI,*

mox



mox indefinitus ipsi affectuum habetur numerus, iique dicuntur omnes, quos dolor sequitur aut voluptas. Et verum quidem est, ut adparet, Aristotelem accuratam adfectuum numerum inire nec voluisse, nec potuisse, propterea quod de eorum definitione adæquata antea sollicitus non est. *Comp. illustr. Thomafius Praxi Philos. Mor. C. III. §. 6. p. 3r.* Nihilominus affectuum, quos enarrat, naturam interiorem tanto studio, tantaque soliditate explorat atque peruestigat, quantaquidem fieri poterat. Certe de inuidia tam plane, tamque distincte disserit, ut ipsius de hoc affectu decreta paullo penitius exponi atque expendi mereantur. Initio quidem Aristoteles inuidiam in affectuum indifferentium numero collocat, propter quos vituperari nemo, nemo laudari possit, quemadmodum *Dissertat. prioris §. VII. ex Ethicor. ad Nicom. C. V.* ostentum est. Sed cum alius deinceps cogitationes figit & ad interiorem eius naturam indagandam sese confert Philosophus, secus statuit. Duo expromam loca, quibus tota Aristotelis, de inuidia mens comprehenditur. Prior extat *Rhetoric. L. II. C. IX.* *Opponitur ei, quod miseratur, maxime id, quod appellant stomachari. Nam dolori propter indignas res aduersas oppositus est quod dammodo, & per eosdem mores dolor propter indignas res secundas, & utraque perturbationes sunt bonorum morum --- Existimabitur vero etiam inuidia miserationi eodem opponi modo, quasi que vicina & eadem sit cum stomachatione. Verum est diuersa. Molestia quidem turbulenta etiam inuidia est, & propter prosperum euentum, sed non indigni, verum equalis & similis. Illud vero, ne ipsi aliquid contingat aliud, sed propter ipsum proximum omnibus similiter oportet inesse. Non enim amplius erit illud quidem stomachatio, hoc vero inuidia, sed metus, si ob id ipsum adsit molestia & perturbatio, quia ipsi aliquid futurum sit mali, ab alio prosperitate Posterior vero habetur *Magnor. Moral. C. XXVIII.* indignatio est inuidia & malevolentia medietas. Amba enim ista, sub vituperationem cadunt, at indignabundus laudabilis --- Cui contrarius est inuidens, qui tristabitur, cum quemnam prorsus siue dignum siue indignum bene agere viderit. Reliqua loca, in quibus eadem fere de inuidia iteratis vicibus inculcantur, ut *Ethicor. ad Nicom. C. VII.* *Eudemior. L. III. C. VII.* *Rhetor. L. II. C. X.*, data nunc opera prætereo. Ex hisce etenim duobus fontibus abunde hauriri possunt, quæ ad genuinam inuidiæ indolem explanandam abs Aristotele proposita sunt. Redeunt autem illa ad quinque fere momenta 1. quod inuidia tristitia sit ob bonum aliorum & 2. tristitia quidem ob bonum non dignorum solum, sed etiam indignorum. 3. quod inuidia discrepet ab indignatione, quæ dolor sit de bonis eorum tantum, qui indigni*

digni sunt a) 4. quod metuere quis possit de bonis etiam aliorum: qui tamen metus ab inuidientia separari, & generaliore metus nomine rectius adpellari possit & debeat 5.) quod inuidientia sit illaudabilis, sed indignatio, stomachatio, & nemesis, quæ eodem profus recidunt, affectus laudabilis. Admiror sane *angibetav* atque soliditatem Aristotelis, nec diffiteor, optime plurima cohærere, & haud pauca egregie dicta esse. Attamen omnia vt probem, numquam me mouebit autoritas Philosophi. Enimvero quo iure metus ob aliorum bona diuellatur abs inuidientia, peruide- re nequeo. Cum enim huc pertineat omnis adfectio, quæ in alienis bonis occupatur, iisque turbatur: siue a dolore, & tristitia, siue a metu illa molestia proficiscatur, ad inuidientiam tamen haud immerito reuocari debet. Nec causas etiam sufficientes habuisse videtur Stagiritis, vt nouum introduxerit indignationis seu nemesis vocabulum abs ista gentilium dea, siue angelo (apud Platonem *L. XXXIII. de legibus p. 796.*) ad affectuum disciplinam traductum. Quoniam n. inuidientia digni non minus, quam indigni bono affligitur; quid opus erat generi, quod speciem vtramque complectitur, ab vna parte speciem quamdam opponere, vbi ea tamen ab altero latere stipatum non est. Neque stare hæc posse videntur cum moralitate, quam ipse Philosophus inuidentiæ atque indignationi assignat. Quomodo enim reiecto genere, salua esse poterit species? inuidia, quæ dolore ob bonum tam digni quam indigni constare dicitur, culpatur, improbatur, reicitur; & indignatio tamen, quæ indigni prosperitatem ægre fert, probatur, laudatur, commendatur. Aut omnia me fallunt, aut hæc inter se pugnare debent, si nude ita & crude intelliguntur. Dicam tamen, quid sentiam, & quo pacto hæc duo conciliari posse, credam. Vox inuidiæ occasionem illi confusioi forte præbuit, quæ Aristotelis iam tempore simpliciter vsurpata, vt ex mox dicendis adparebit, in deteriorem vulgo significatum accipiebatur. Intelligebat autem perspicacissimus Philosophus dolorem ob aliorum bona malum simpliciter esse non posse, propterea, quod indignis quoque prospera euenire queant. Eapropter inuidiæ notione duo hæc generatim comprehendendi volebat

D

Ne

(a) *Stollus in der Historie der Heydnischen Morale §. 70. p. 87. ita verit: der unwillen (veueris) ist eine Schein-tugend, welche im Schmerz und Vergnügen, so man über den zufallen seines Nechsten empfindet, gebærige masse halt. Non tamen satis hæc mentem Aristotelis exprimunt, neque ex Golio Epir. doct. Mor. p. m. 83. probari potest, indignationem ex mente Aristotelis esse affectum, qui virtutis speciem mentiatur h. e. Schein-Tugend.*

Ne vero significatus inuidentiæ vulgaris rei ipsi fraudi sit, & bonum quod existit, cum nomine peiorem in partem rapta malum pessimum audiat atque existimetur: id suum esse putabat, nouam excogitare indignationis vocem, eamque ad dolorem ob indigni bonum restringere. Neque inanis ingenii lus haberi hæc debent, cum ipse Aristoteles coniecturæ huic facem præferat. Nam *L. II Ethic. ad Nicom. C. VI. Non omnis actio, inquit, nec omnis perturbatio medium recipit. Sunt enim quædam, quorum nominibus statim vitium est implicatum: ut maleuolentia (latans alieno malo,) impudentia, inuidentiæ. Hac ratione obscurum esse non potest, quo iure inuidentiæ mox inter affectus indifferentes recensetur, mox vera iniusta dicatur & illaudabilis. Prius ad rem ipsam & definitionem respicit: Posteriori vero nomen petitur. Aduum etiam non erit iudicare, rectene an minus a Cl. Stollio in der Historie der Heydnischen Morale p. 90. §. 68. In not. ponatur in defectibus Aristotelis, quod statuit: *Zorn und Neid waren eben so wenig base, als Furcht, Begierde und andere Regungen.* Quando enim nomen & res distinguuntur, nil vitii habent, quæ hic præcipit Philosophus. Aristoteli qui successit, Theophrastus ut in aliis, sic & his de inuidentiæ præceptionibus Aristoteli tenacius inhæret, quemadmodum ex eius de inuidentiæ apophtegmatibus innotescit, quæ a Stobæo *Serm. XXXVI. & XXXVIII.* collecta, partim a Stanleio *Hist. Philos. p. 497.* partim a Stollio in der *Historie der Heydnischen Morale p. 95.* repetuntur. Vnum illud addo, Stobæum, qui in hoc & aliis affectibus ad mentem Aristotelis tradendis corruptus & mutulus est, restitutum esse abs Oleario *not. ad Stanleii Hist. Philos. p. 483.**

§. V. Sequitur, ut ad Stoicos vertar, quorum eximia plane in explanandis iusti atque iniusti rationibus defudauit opera. Nec certe plane nihil est, quod in morali studio præstitit indefessa sapientum ex porticu sollertia. Modo non ad superstitionem vsque in vocibus hæssissent, nondumque in scirpo quærentes verborum potius quam rerum nouarum magistri existissent. Comp. Cicero de *finibus Bon. & Mal. L. III. & IV.* Ad affectuum tantum doctrinam, ne extra oleas vager, prouoco, quæ, quam perplexa, quam spinosa, quam intricata sit, dici vix potest. Vnde quilibet haud difficulter videt, non meliora de inuidia iudicia ab iis expectari posse. Subiiciunt vero Stoici, ut memorat Laertius *L. VII. Segm. III.* inuidentiæ dolori, quem *irrationalem* in genere vocant *animi contractionem*: Inuidia vero ipsis est *dolor ex alienis bonis.* Aldobrandinus equidem *not. ad b. l.* deficere nonnulla putat in hac definitione, atque Laertium supplere & emendare aggreditur ex Cicero, cui *Lib. IV. Tusc. Quest.* inuidia dicitur

citur *agritudo suscepta propter alterius res secundas que nihil noceant inuidenti*. Imitantur hunc alii, vt Aloysius Luifinus (fere Stoicus) de compescendis animi affectibus *Cap. XVII. pag. 115*, Stanleius *hist. Philos. pag. 599*. Non tamen hi obstant, quominus Laertium defendendum, criticamque Aldobrandini obseruationem lubricam atque superuacaneam esse arbitrer. Nam ipse Seneca in *Prouerbiis* diserte scribit; *scito, quod est inuidia dolor ex alienis commodis*. Et Audronicus Rhodius *Libro πρὸς τὸν* postquam dolorem seu tristitiam eadem fere cum Stoicis ratione descriperat, inuidiam absque vilo addito generatim vocat *dolorem de alieno bono*. Ita quoque Simplicius *ad Enchir. Cap. XXVI. inuidia, ait, dolor est ob alienum bonum ortus*. Ex quibus elucet, ad inuidentiæ conceptum primum ex mente Stoicorum non pertinere, vt non noceant bona ei, qui inuidet. Ciceronis auctoritas, quæ opponitur, non adeo magnam hic vim habet, quandoquidem ipse non est coecus Stoicorum admirator, sed eclectica quadam prudentia multa subinde in illorum placitis corrigit atque mutat: qui hæc adeo de suis addere potuit. Quid? Quod Cicero hac in parte sibi ipsi non constet. Mox enim assuit nonnulla inuidentiæ definitioni, quæ alia vice iterum excludit. Nam quæ supra adiecerat, excludit iterum *Lib. III. Tusc. Quæst. vbi inuidiam absolute dicit agritudinem ex alterius rebus secundis*. Frustra quoque se dant, qui existimant, non potuisse a Stoicis in perturbationibus penitus extirpandis numerari inuidentiã, nisi iniquam hanc esse ipsa ostenderet definitio. Ad prauitatem enim affectus cuiusdam Stoicis sufficit, vt inter perturbationes reiiciatur. Ita quoque cum inuidentiã res sese habet. Est perturbatio, adeoque affectus Stoicis maxime vituperabilis, quantumuis definitio inuidentiæ turpitudinem nullam designet, sed tantum dolorem ob bonum alienum innuat.

§. VI. Excitati itaque fuerunt præcipui fere apud Græcos morum Doctores, qui nomen aliquod adepti sunt, suasque doctrinas ad posteros transmiserunt. Epicurum, qui in iis etiam commemorandus erat prætereo, propterea, quod affectuum doctrinam in Physica sua breuiter admodum tradit, & pauca quæ de iis præcipit, ad peruulgatam eius ἀραξίαν comparata sunt. Reliquorum autem Philosophorum, qui a temporibus inde Græcorum floruerunt, numerum si inire vellem, tempus & charta me deficerent. Iis etiam percensendis superfedere possum, cum Græcorum vestigia præserint tantum non omnes, qui post eos affectuum rationes explanare aggressi sunt. Sectarii enim plurimi erant, qui re-



ligioni ducebant a præceptorum decretis vel latum vnguem recedere. Et si qui in antiquioribus electici erant, in examinandis tamen aliorum placitis adqueſcebant, iisque ſeligendis, quæ ipsis vero maxime contentanea videbantur. Ut itaque & hi ſuas ex veteribus ſententias deriuarent, quas Pyrrhonorum acatalepsiæ forti animo opponebant. Comp. Olearii *Diss. de Philosophia eclectica*, quæ exstat in Stanleii *hist. Philos. pag. p. 1207. & pag. 1218*. Ex iis tamen, qui ad nostram ætatem propius peruenerunt, vnum atque alterum producere debeo, ne immutatam temporum progressu inuidentiæ notionem quis credat. Ita Ludouicus Viues *L. III. de anima: in inuidia bona aliena quatuor modis considerantur. 1.) vel nocent nobis, & illorum applicatione, cum maiora censeantur, bona nostra sunt minora, ut si quis altiores extruat ades & luminibus nostris officiat. 2.) vel non nocent &c.* Idem ſentit Io Heiderus *Syst. Philos. Mor. Pt. II. p. 363.* qui quadrifariam alieno de bono nos dolere, putat 1.) *Si ex illo aliquid metuendum nocementi - 3. si contingit immeritis & indignis.* Cartesianos ſileo, quos eo magis a meis partibus stare, certum est, quo acrius mecum, pro inuidentiæ indifferentia decertant. Ex recentioribus vero succurrit de la Chambre *dans les Caracteres des passions*, qui de inuidia Præfat. ita pronunciat: *L'envie vient de la douleur, & de quelque desespoir de posseder le bien, qui arrive a quelqu'un.* Quæ tamen definitio nonnulla complectitur, quæ ab inuidentiâ in genere spectata rectius abstrahuntur. Planerus quondam noster *Dissert. qua nouam veramque de affectibus sententiam defendit, p. 43.* scribit: *inuidia est nolitio boni pro indigno.* Wesenfeldii definitionem & sententiam, qua inuidiam dicit tristitiam ex bonis aliorum *Dissert. Prior. §. IV. p. 8.* fusius allegaui. Plures cumulare superuacaneum duco.

§. VII. Luculenter, ni fallor, ostensum fuit, non nouam, sed antiquissimam esse, quam suppeditaui inuidentiæ definitionem. Et si forte uicij ea suspecta haberi posset, rectius antiquitas quam nouitas in illa desideraretur atque reprehenderetur. At sunt nonnulli tamen hodie, de morum scientia optime meriti, qui vsitatam hancce definitionem inuidentiæ deserunt, aliamque præ illa eligunt. Sic Clar. Rechenbergius *Lin. Philos. Civilis. Pt. I. C. VI. §. 15.* inuidiam ex tristitia & odio miscet; Illustr. Thomafius ab auaritia illius originem repetit *Praxi Philos. Mor. C. XI. §. 38. p. 241.* Clar. Buddeus non adgnoscat inuidiam, nisi bono quis potiatur, cui nos male, saltem non adeo cupimus *Philos. Pract. Pt. I. C. II. §. 77.* Io. Wolfgang Trier vero *in den kurtzen Fragen von den Menschlichen Gemüths-*

Bewe-

Bewegungen p. 153. pro odii specie venditat inuidiam. Sed pace tantorum virorum aliter hic statuo. Nam iis, quæ inuidiæ hic admiscuntur, partim fallacia quædam accidentis committitur, partim a particulari concluditur ad vniuersale. Non sufficit enim deprehendisse in inuidia auaritiam, & odium, sed euincendum est, nullum reperiri inuidum, nisi qui auaritia, aut odio in proximum instigetur. Nam definitio iis constare debet, quæ essentialia sunt, atque semper se ita habent. Auaritia vero adeo rotam inuidientiam non exhaurit, vt ne quidem vitiosam absoluat. Potest ab ambitione etiam & voluptate ea manare. Licita vero inuidientia ab affectu in publicum emolumentum, a philautia ordinata, ab amore proximi ortum ducit. Nec personæ odium, quod reliqui asserunt, magis ad inuidentiæ naturam pertinet, quam iræ definitionem. Quemadmodum vero indignari malis veris quis potest, vt odio proximum non prosequatur quidne id etiam fieri posset circa inuidiam? & quid impedit, quo minus, quod bonum alienum ægre fert, ab odio personæ sit liberatus? Qui enim animi tam generosus est, vt publicum emolumentum omni modo promoueat; is etiam odio personæ facile caret, vt ob prosperitatem tamen alterius contristetur. Quod autem interseri plerumque solet ab iis, qui hac definitione vtuntur: nomen inuidentiæ vulgo vitii vocabulum esse; Quilibet enim eo audito, sibi actum vel habitum iniustum concipere. Si itaque vsui respondere debeat definitio, admisceri huic debere, quæ vitiosam eam efficiunt. Id plane admittere possum. Nam licet definitio formanda vsui sit conformanda; quando tamen de voce quæritur vbiuis recepta, quid ea significet? tum ex definitione vsitata id diiudicari debet, atque cognosci. Nec sequitur: vox hæc aut illa plerumque deterius capitur, ergo semper ita significat, atque sumenda est. Cum enim a bonis mala haud distent longius, hinc fit, vt, quæ in vitiorum confinio sunt, seu facilius in iniustitiæ actus degenerant, quam vt iusta euadant, cum frequentiori abusu suo nomen quoque in deteriorem partem abripiant. Exempla habemus in philautia, ira, odio, æmulatione, quæ absolute posita non nisi illicita designant. Itaque quando bonæ indolis affectus indigitare debent, cum addito: liciti, boni, iusti; ea nomina vsurpari debent. Ita quoque cum inuidia comparatum est. Vfus vult loquendi, vt quando generatim ea memoratur, crimen atque vitium illud habituale intelligatur. Qui vero innuere vult dolorem iustum ob bonum alienum, semper addere debet inuidentiæ eiusmodi voces, quæ id connotent, quemadmodum

D 3

a Mo-

a Moralistis fieri semper videmus. Germanice tamen vox illa: *Neid*; nunquam pro affectu medio accipitur, quæ ex usu loquendi semper vitium illud famosum denotat; eius vero loco adhiberi potest vox: *misgannen*. Ut nec semper vituperari possit, nec etiam ab usu loquendi recedat, qui publice profitetur: *Ich gånne dies meinem Nechsten nicht*; quando bonum istud malorum causam existere, intelligit. Plane meus est Wefenfeldius *Georg. anime & vite Pt. II. C. XVIII. §. XXII. pag. 590*. Is enim, postquam invidiam ut tristitiam ex bonis aliorum commendauerat, concludit: *Inuidia striete dicta & vitiosa est tristitia ex bonis aliorum rationali fundamento destituta. Accidit enim huic nomini, quod pluribus aliis, sc. enixcupetaxias, amoris sui &c. ut propter frequentiam abusum in tristitia ex bonis aliorum omnis illa tristitia ceu vitiosa sub inuidia nomine traduceretur.*

§. VIII. Sed tota res ad abstractionem redire videtur, quæ fundamentum est indifferentiæ, & optimum, ut reor, medium componendarum litium, quæ in affectuum doctrina agitari solent. Non vacat eam hac vice operose excutere, miror tamen censorem, qui, ut hospes in ea, ita hostis quoque illius existit. Orti, scribit, affectus, difficiliori negotio abstracte hoc est separatim a circumstantiis, quibus excitantur, considerari possunt, quam simplices & prima anima adfectiones. Inde vero prorsus uon video, quid sibi velit autor per inuidiam abstracte consideratam, cum ipse omnes adfectus ne primis quidem exceptis, ab aliqua relatione ad rem certam oriari, animaduertit, & præterea singulis paginis, inuidiam in bono alterius occupari moneat. Quam vellem, ut censor se continuisset ab accusandis iis, quæ, ut ipse faterur, & res satis loquitur, non intelligit Quam bene sibi consuluisse, si Illustrum suum Thomasium (nam Aristoteles & qui eum sequuntur ipsi procul dubio fastidium creant,) in consilium adhibuisse, qui non solum *Praxi Phil. Mor. C. XIII. §. 52. 55.* a zelotypia abstrahit voluntatem, sed etiam *Cap. VI. §. 29. p. 119,* in affectibus non necessariis esse putat, ut mentio fiat boni & mali, nisi in iis, ubi nomen obstat. Hoc autem, quid est, aliud quam abstrahere? Quid vero impedit, quo minus orti affectus vel plane non vel difficulter abstrahi possint? aut quæ est absurditas ortum dicere affectum, eumque postea abstrahere. Sicuti enim, idea, quæ oritur ex relatione ad obiectum, abstracta nihilominus fit in intellectu; ita etiam cum affectibus fieri potest. Diuersa sunt: ortum esse, & abstrahi, quæ confundi non debent. Ortus enim dicitur affectus in respectu ad alios, quibus constat: abstractio vero fit a circumstantiis, quæ contingenter ei insunt. Vnde affectus primitivus abstractus esse potest;

& co- u

& contra affectus abstractus iterum ortus. Modo id notetur, abstractionem fieri debere abs circumstantiis accidentalibus, non vero essentialibus. in inuidia hæc facile patent. Ab ea enim v. g. odium, avaritia abstrahi possunt, vt tamen maneat dolor ob bonum alienum & metus. Nam hæc ad inuidiam sufficiunt, quemadmodum experientia & constans veterum pariter & recentiorum definitio commonstrant. Hanc abstractionem quoniam indifferentiæ fundamentum iam dixi, quæ contra eam, p. 213. afferuntur, verba sunt, prætereaque nihil. Nam eo dum abstrahitur affectus, a circumstantiis accidentalibus, naturali suæ rationi relinquitur: quæ cum a Deo bonum in finem insita sit; abs hominum vero malitia in abusum sepe trahatur, concretive quidem vel bona vel mala sit; at abstractiue est indifferens. Frustra quoque obiicitur, *huic indifferentiæ, non vt par erat, antea firmata totum dissertationis superstrui edificium:* Nam non minus superuacaneum est operose id probare velle, quod apud plurimos inconfesso est; quam falsum, huic indifferentiæ omnem inuidentiæ licentiam inuiti. Quælibet thesis enim atque assertio nouis suis firmatur argumentis atque rationibus.

§ IX. Duo superfunt momenta, quibus de gradu me deicere fatagit censor: quæ vero in summa rei parum habent momenti. Primum enim quod inuidia, quæ tantopere a me collaudatur, sit prudentia, aliqua, ex parte equidem verum est, & a memet ipso Dissert. Sup. adstructum; omne tamen ex parte numquam probari, nunquam admitti potest. Aliud enim est prudentiam esse, aliud a prudentia dirigi. Ad virtutes omnes concurrere debet prudentia, ergo ex omnibus virtutibus vni tantum studendum prudentiæ? Egregia, fateor, philosophia, quæ generalissima traderet, specialiora, circa quæ prudentiæ proprie dicta versatur, negligeret! Vt dicam, quod sentio, quilibet adfectus, quælibet virtus ab obiecto eiusque modificatione determinatur. Atque sic dolor, qui in bono alieno occupatur, est inuidia. Ea autem, quatenus sapienter exercetur, prudentiam arguit subiecti: at non mutatur ideo, vt putat fere censor, in prudentiam. Eiusdem farinae est obiectio altera, ac si inuidia mea sit odium mali. Inconstantiam censoris, qui quod antea prudentiam, nunc odium mali adpellat, non memoro. Sed plane diuersa esse puto, dolorem ob bonum alienum atque odium mali. Non nego, licitam tum demum esse inuidiam, quando bonum alterius mali rationem habet respectu tertii, mei, aut publicæ salutis? At manet tamen bonum illud bonum, quatenus in subiecto illo, cui inuidemus, existit. Quilibet vero affectus denominatur ab ea obiecti ratione, quam id in subiecto suo habet. Vt taceam

ceam, affectus circa bonum & malum versari non verum solum, sed ad-
parens etiam, ut quomocunque illud se habeat, affectus non mutetur.
Perinde itaque esse posset, utrum inuidia in alieno bono, quod reue-
ra bonum est; an quod malum sit, occupetur: semper enim est inui-
dia & manet.

§. X.

Atque sic Bibliothecæ Hallensis, eiusq; ratiunculis satisfactum credo.
Queris quæ causa fuerit tam indignæ tam iniquæ censuræ; non aliam pu-
to, quam quod *viri cuidam Inlustri, ut scribitur p. 214. nimis probatam inlimi-
tatam philosophandi libertatem exprobaui* Obiter id factum esse memini, quare
nunc etiam id multis non discepto. Rectius tamen, fateor, prouocassem ad
Viri illustri *Dodec. question Perad. quasi. 5. an liceat in bene constituta Republica
querere?* & magistratus autoritatem, qui v. g. *Tom. III. Sap. & Stultit. fisco*
addixit. Quæ manifesto arguunt, illustrem Thomasium *illimitate*
quandoque fensisse, *illimitatamque philosophandi*
libertatem probasse.

DISSERTATIONIS POSTERIORIS

F I N I S





Wittenberg, Diss., 1720




f

sb.

v. D. 18





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13



ש"ס

1720

9 11

LOGIAM DENTIAE

DVERSUS
OTHECAM
AM HALLENS.
POSTERIORI

IN
ALBIM ACADEMIA
A. MDCCCXX.

INDICABUNT

Æ S E S
AN. BURGSMANN
NSIS, LL. AA. MAG.

ET
PONDENS
HL, ROSTOCHIENSIS
QUE LL. CULTOR.



bat Johannes Lud. Fincelius.

